

hos libros incredibili quidem utilitate refertos; sed à paucis admodum
adhuc cognitos , si cum tui clarissimi nominis inscriptione diuulgaren-
tur ; multò plus claritatis , & luminis ; multoq; plus auctoritatis , ac di-
gnitatis apud omnes habituros ; & in doctissimorum oratorum ma-
nus , & conspectum , libentius , alacriusq; venturos . Videbam præte-
rea nulli honestius , quām tibi ; & patriæ claritate ; & maiorum nobili-
tate , amicis ; & liberalitate ; ceteris virtutibus , bonisq; ornatisimo ,
hos commentarios ab illustri Theologo compositos nuncupari ; & con-
secrari posse . Natus es ex nobili gente Raparia ; quam multos abhinc
annos in ipsis ferè antiquissimis coloniæ Romanorum fidelis Cremonæ
primordijs; si antiquitatis memoria replicetur ; floruisse comperiemus .
Ex hac , tanquam ex equo Troiano in bello Milites fortissimi ; in pace ,
Iurisconsulti prudentissimi ; in Religione , Antistites grauissimi ; in vi-
ta ciuili , Philosophi doctissimi , gloria fulgentes exierunt . Tu verò ,
cum adolescens indolis optima , moribus , & litteris homine ingenuo
dignis imbutus esse ; ne latum vnguem à maiorum tuorum vestigijs
declinares ; in familiam , & piam sodalitatem Canonicorum Lateranen-
sium Diuī Augustini ; id vtrō ob præclarum ingenij tui indicium patri-
bus expertentibus ; te sacris addicens , vt cooptareris , operam enixè
dedisti , in qua quidem ita , & omnium diuiniarum , & humanarum di-
sciplinarum cognitione ; & morum probitate ; & sanctimonia , breui vi-
gasti , vt patribus approbantibus , omnibus ferè dignitatum generibus
iuentis dignissimus fueris iudicatus . Quid ? nomen quidem ipsum , à
prudentiis . patribus ; cū te religioni sanctiss . cōsecrasti ; tibi , ita diuino
spirante numine , impositum ; tuae insequentis vita fuit specimen cer-
tissimum . Quis enim credat , tē Cherubinum temerario fortunæ consi-
lio tunc nominatum ; cū te in rerum diuinarum contemplatione ver-
fantem , incredibili scientia ; & sapientia præditum ; & velut ex beatō-
rum sedibus ad nos delapsum ; nunc videat ; & admiretur ? id profecto
præsagienti animo prospexerunt maximi consilij patres ; qui tibi , cum
vix in eorum numerum fuisses adscriptus ; doctissimo magistro , optimè
nomen tuum interpretati ; in moribus , in religione , in Philosophia , &
Theologia , iuuenes maximæ expectationis erudiendos commiserunt .
Ista fundamenta ; quæ faustis iuuentutis tuae auspicijs firma admodum
iecessisti ; ad maiorem dignitatum molem sustinendam , te aptissimum po-
stea reddiderunt . Hinc audiui ; sepè etiam audio ; nomen tuum , à
quā plurimis celebrari ; dum res Benenenti ; Iucæ , in ceterisq; ciui-
tatis Italæ , abs te in dignitatibus posito , prudenter , fortiter , conti-
nenter , & iustè gestas , ita summa cum tua laude graniter , & studiosè
commemorant ; vt ex eorum oratione , te vbiq; omnibus charum , ac-
ceptum , atq; admirabilem fuisse , & adhuc esse , dilucidè appareat . No-

stra